

## II.

### QUO CONSILIO ET QUA DUCTUS RATIONE HISTORIAE ROMANAE LIBROS CONFECERIT VELLEIUS PATERCULUS

Mihi agnoscenti quantum doctrinae humanitatisque hunc ad Conventum conferant et Benedictus Riposati, magister meus egregius, et tot alii praeclarique viri, qui ubique fere terrarum Latinae philologiae provehendae operam dant egregiam, orationem dicere honori est.

Ne vero temporis spatium ad loquendi copiam dati excedam, aliqua, quae nobis maiori sint documento, ex Vellei Paterculi opere deprompta satis esse censeo exponere, ad breviter ostendendum quo consilio ductus quaque ratione Romanorum ille annales contexuerit.

Vir enim is est Velleius, quem, quantum e re fuerit, cognoscere omnes consentiant. Nam scriptor, qui novarum rei publicae gerendae rationum partibus favit, principatusque iura defendit, testis iudicare potuit in quam anceps discrimen incurreret, qui incipientis imperii tempora enarraret. Prius interim prae oculis habendum est eius familiam, ex Campania profectam, cum Romana fide antiquitus esse consociatam; ipsum vero magistri equitum in Germania, Tiberio duce, munus obisse, quaestoris deinde anno VII p. Chr.n., cum denique anno XIII<sup>p</sup> Tiberii triumpho interfuisset, anno sequente praetura functum. Itaque ex amicitiae vinculis, quibus Vellei cum gente Claudia pariterque cum Romana re publica coniungebantur, singularem esse causam intellegitur, cur Velleius noster res gestas ad Tiberium principem pertinentes enarraverit illo usus colore, qui cum insignem scriptoris indolem praedicat, tum suadet, ut de eius aestimatione aliquid detrahatur; suadetque, si mores respexeris, aliquid in Velleio inesse, quod improbetur.

Hac de totius Romanae historiae summa, in quam Tiberium et ingeniosum et munifica liberalitate praeditum primas agentem Velleius inducit, affatim disputatum legimus. Nam sunt qui, rerum causis investigatis, Velleium dixerint se temporum consuetudini accommodasse, sibi que proposuisse suavis munere fungi; nec desunt qui eum, uptote a genere res gestas scribendi alienum, omnino a veris rerum scriptoribus removendum esse censuerint; adde quod, nisi forte gliscente iudicii severitate, alii vitium ei inuri dixerint et deformis obsequii et nimiae assentationis erga principem. Quodsi Vellei libros sine invidia perspexeris, scriptoris, proni ad ea accipienda, quae ab eius maioribus tradebantur, bonam fidem omnino deprehendes; nec tamen, qua fide Velleius et miles et magistratus se gesserit, nescire licet. Ideoque cautus esse debet vigilique iudicio pollere qui, ut cognoscat qui fuerit et quae ad effectum perduxerit Tiberius, Velleium tantum legit, propterea quod scriptor multa quidem admiratione principis correptus apparet cuiusque unice interfuit et suae et anteactae aetatis res posteritati tradere.

Velleius cum omnia, quae ad fidem historicam pertinent, curare nobis videatur, non ad rei naturam respicit, neque ad causas, quibus res ipsa effecta sit, sed ad ea inveniendae fertur, quibus demonstrat et quanti fuerit rei auctor et quomodo in singulis hominibus describendi auctoris animo, consilio ac moribus iniciatur aut probitatis aut turpitudinis color. Si quis Velleium, res gestas interpretantem, traditioni, quae patuli, ut ita dicam, orbis fines non excederet, inhaesisse putaverit, eamque partem compluribus locis secutum, quae non senatui, sed principatui faveret, ab aequo iudicio recedere minime videtur. Itemque infitiandum non videtur quin Velleius iudicio suo aliquoties



usus sit in iis perpendendis, quae ab aliis tradita acciperet, ut suo ipse Marte fretus res inquireret. Exempli causa, eius memoretur velim de condita Capua sententia, eademque iis, quae Cato scripserat, adversa <sup>1</sup>. Velleius enim eiusmodi historiarum scriptor est, cuius animus rebus, de quibus disserit, interesse videatur; mirum vero quantum, brevi quidem et perstricta oratione, hominum facta consideret; neque, cum ea, quae acciderint, acuto ingenio explorat idoneus ad rerum medullas persequendas, minorem nobis movet admirationem. Idem quo ex tempore apud Romanos imperii fines provehendi ars exercita sit intelligenter agnoscit et quando se superbius gerere res publica coeperit: Carthaginem enim deletam esse non quod, de Titi Livii sententia, munus Romano imperio fati datum obiretur, sed quia Urbs, verita ne ab hostibus impiretur, quominus in Mari Interno posset dominari, aemulae Carthagini graviter obrectavisset. Quod quidem iudicium damnationis esse dixeris in Romae caput illatae <sup>2</sup>. Ex his positis, quae dicenda suscepi, quam faciem antiqua Roma praebet, cuivis animo ad suspiciones libere prono a Velleio considerata, patet; itemque quam festinanter agat ille de magnis iis rebus, in quas e prospectu recedentes inductum Romanorum nobilissimum quemque describat. Procul dubio Vellei in animo inerat disciplina militaris una cum acerrimo rerum conservandarum studio morumque integrorum sensu, quibus facile sive ad eos vituperandos, qui legitimorum magistratum honores detrectabant, ferebatur sive ad viros vehementer admirandos, qui rei publicae institutis recte favebant. Quae si consideraveris, minimo cum stupore leges Viriathum, strenuum libertatis Lusitanae vindicem, latronum ducem a Velleio appellari <sup>3</sup>; et, quidquid Gracchi moliti essent, praedicari nefarium aliquo modo pariterque rei publicae perniciosum fuisse <sup>4</sup>; mox vero improbati Gai Gracchi adversarium, Lucium Opimium consulem, item improbari, hominem quidem laudabilem, sed qui seditionis coercendae modum excesserit <sup>5</sup>; neque quisquam obstupescit quod Velleius homines, qui et Italiae et Romae imperii praepotentis summam detulerint, maximis efferat laudibus. Inspicere autem nunc iuvel, qua ratione cum Pompeio Caesar collatus sit. *Aterius ducis* (scil. *Pompei*), ut Velleius ait, *causa melior videbatur, aterius* (scil. *Caesaris*) *erat firmior; hic omnia speciosa, illic valentia*; quae quidem vox *valentia* vim auget voci *firmior*. Etiam consules et senatores, potius quam Pompeio, tacite rati eum imperii

<sup>1</sup> « Qui (scil. Cato) dicat Capuam ab isdem Tuscis conditam ac subinde Nolam; stetisse autem Capuam, antequam a Romanis caperetur, annis circiter ducentis et sexaginta. Quod si ita est, cum sint a Capua capta anni ducenti et quadraginta, ut condita est, anni sunt fere quingenti. Ego, pace diligentiae Catonis dixerim, vix crediderim tam mature tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse » (VELL., I, 7, 3-4).

<sup>2</sup> « Neque se Roma iam terrarum orbi superato securam speravit fore, si nomen usquam stantis maneret Carthaginis; adeo odium certaminibus ortum ultra mentum durat et ne in victis quidem deponitur neque ante invisum esse desinit quam esse desiit » (VELL., I, 12, 7).

<sup>3</sup> « Triste deinde et contumeliosum bellum in Hispania duce latronum Viriatho secutum est » (VELL., II, 1, 3).

<sup>4</sup> « Decem deinde interpositis annis, qui Ti. Gracchum, idem Gaium fratrem eius occupavit furor, tam virtutibus eius omnibus quam huic errori similem. . . Qui cum summa quiete animi civitatis princeps esse posset. . . eiusdem exempli tribunatum ingressus, longe maiora et acriora petens dabat civitatem omnibus Italicis. . . novis coloniis replebat provincias, iudicia a senatu transferebat ad equites, frumentum plebi dari instituerat; nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum, nihil denique in eodem statu relinquebat; quin alterum etiam continuavit tribunatum » (VELL., II, 6, 1-3).

<sup>5</sup> « Hunc (scil. C. Gracchum) L. Opimius consul, qui praetor Fregellas exciderat, persecutus armis unaque Fulvium Flaccum, consularem ac triumphalem virum, aequae prava cupientem, quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris triumvirum nominaverat, eumque socium regalis adsumpserat potentiae, morte adfecit. Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis non dicam Gracchi, sed civis Romani pretium se daturum idque auro repensurum proposuit » (VELL., II, 6, 4-5).

summa dignum non esse, iis, qui rei publicae causam agebant, summam imperii profecto commiserunt. Maiora vero lumina nobis adiciuntur legentibus Velleium Caesaris partibus favisse, utpote a quo nihil relictum esset, *quod servandae pacis causa temptari posset*. Cur autem Caesari faveatur, facilius intellegit qui Lucanum adeat scribentem, in Caesare unum pudorem inesse, *non vincere bello* <sup>6</sup>. Coorti vero belli Velleius auctores Pompeianos fuisse dicit, affirmatque viros priscorum morum et auctoritate graves Pompei partes *magis* laudaturos fuisse (nolim comparationis adverbium quemquam lateat; ceterum, non de Pompeio, sed de Pompei partibus hic disseritur), at prudentes, qui rei publicae regendae artem novissent, Caesaris partes secuturos fuisse, illa *gloriosa*, haec esse *terribiliora* ratos <sup>7</sup>. Ut paucis absolvam, Vellei sententiae, exiguis quamvis lineamentis circumscriptae, nec modus nec pudor est, quin iis, quae reapse acciderint, inhaereat. Nobis item in mentem venit Marci Agrippae, navibus comparandis, militibus remigibusque conscribendis, iisdemque exercendis ab Octaviano praepositi, quem Velleius virum *virtutis nobilissimae* . . . , *parendi, sed uni, scientissimum, aliis sane imperandi cupidum et per omnia extra dilationes positum consultisque facta coniungentem* <sup>8</sup>, nobis exhibet.

Itaque, si Vellei opus oblata scriptum esse occasione consideremus, quo doctrina in epitomen cogeretur, unde Marcus Vinicius amicus ad summos evectus honores praecepta rei publicae gerendae caperet, nullum dubium erit, quin iis, quae sibi tractanda scriptor proposuerit, respondeat; sin autem rerum historia simpliciter et sua vi consideretur, de Velleio fieri poterit, ut aliter sentiat.

ANTONIUS MANZO

<sup>6</sup> « . . . Sed non in Caesare tantum Nomen erat, nec fama ducis, sed nescia virtus Stare in loco, solusque pudor non vincere bello » (LUCAN., I, 143-145).

<sup>7</sup> « Alterius ducis causa melior videbatur, alterius erat firmior; hic omnia speciosa, illic valentia; Pompeium senatus auctoritas, Caesarem militum armavit fiducia. Consules senatusque causae non Pompeio summam imperii detulerunt. Nihil relictum a Caesare, quod servandae pacis causa temptari posset, nihil receptum a Pompeianis, cum alter consul iusto esset ferocior, Lentulus vero salva re publica salvus esse non posset. . . Vir antiquus et gravis Pompei partes laudaret magis, prudens sequeretur Caesaris, et illa gloriosa, haec terribiliora duceret » (VELL., II, 49, 1-3).

<sup>8</sup> *Ibid.*, II, 79,1.